

1

Illustrissimo ac Rever. Domino D. Roberto Bellarmino

S.R.E.Cardinali Amplissimo et Capuae Antistiti dignissimo

Iacobus Graffius Capuanus felicitatem.

Laborem hunc Illustrissime ac Reverendissime Cardinalis ~~tibi~~

5 iam pridem animo destinavi, et inscripsi, ut quem in lucem edere
vellem, Illustrissimi tui nominis splendore cohonestarem, aut po-
tius, ut opus recenti ingenii foetura natum, et brevi visurum pa-
rentis occasum, veluti ad solis ortum exultaret, cum oris tui lu-
cem aspiceret, atque id demum in tanti praesulis tutela viveret in
10 omnem aeternitatem, quod futurum erat, ut paulo post scriptoris sui
iam senio penè confecti defleret interitum. Cui enim lucem non af-
feras, qui non secus ac novum coeli sydus, non regnorum cladem, sed
salutem, beatitatemque praesagiens, offusis Germaniae tenebris, to-
ti orbi illuxisti? Cui etiam certatim lumen affundum pietas, pluri-
15 misque in rebus spectata religio, quare nefaria illa Septentrio-
nalis plagae monstra, quae fovebat impunitas, ad lucem tuam se col-
legerunt, et in ultimos sese recessus abdiderunt, tantumque ad mo-
tum tuum timuerunt, quantum iampridem timebantur, ubi animi tui
magnitudini latissimum campum virtus aperuit, ut quae aliis fuerat
20 materia scelerum, tibi seges esset splendoris et gloriae, omnesque
illae belluae, quae in turpitudine natae: voluptatum illecebris te-
nebantur irretitiae, suavissimo tuorum morum concentu, quibus doct-
rina consonabat, ad vitam à ratione praescriptam revocarentur. Ve-
rum quoniam tantae virtutes una orbis parte contineri non poterant,
25 hic etiam tibi laudum materia non deest, quotus enim quisque est,
qui in tanta honoris altitudine, tantam animi demissionem non ad-
miretur? praesertim cum tuae dignitati non velificaverit ambitio,
sed divini numinis aura perduxerit? Quare non est, cur prosperae
fortunae aliquid acceptum referas, cum illam tibi fecerit vitae in-
30 tegritas, cuius pedissequa videtur fuisse bona fortuna, ut iure op-
timi non tu dignitatem, sed te dignitas consecuta esse dicatur,

1 esse arbitrabimur, quam non solum tantis honoribus aequus, verum
etiam semper iisdem praetulisti. Haec igitur omnia causae fuerunt,
ut tibi opus hoc qualemque sit consecrarem, et veluti ad aram tua
suspenderem, quod si te auspice divulgetur, felix reputabo, me ve-
5 rò si observantiae in te meae, ac potius pietati arriseris, felicissi-
mum. Illud etiam magnum eo solum nomine meritissimo reputare de-
bes, quod ad magnitudinem nominis tui alligatum est, tuumque potius
quam meum videtur esse, quippe quod expressit ingens illa tua, et
omni laude maior humanitas, quae iam pridem Romae meam industriam
10 concitavit, ut tuae gloriae deserviret, ut beneficiorum immortalium
quae in me collocaveras, me in arduis protegendo negotiis monumen-
tum existeret sempiternum. Huc accedit officiosa universae urbis
Capuae voluntas, quae tantum se tuae virtuti, quae omnes informat
ad morum integritatem, debere fatetur, ut haec vcivis sui tibi res-
15 ponsa dicaverit, cum officiis in te suis respondere non possit.
Quare hos tibi fructus attulerunt, iacta beneficiorum tuorum semi-
na. Porro si iocunda illa frontis tuae serenitate excipientur, om-
nium nostrum animi quasi tellus solis radiis recreata, felicia
concipiet semina, ut fructus ubiores colligas, et laetiores. Vale
20 ex nostro monasterio Sancti Severini de Neapoli Kalendas lunii 1604

Concilia et responsa casuum conscientiae, in quinque libros iuxta
Decretalium numerum et ordinem distributa. Auctore D. Iacobo de
Graffiis a Capua, monacho cassinensi, I.U.D. Poenitentiario maiore
in civitate Neapoli, Confessariis atque poenitentibus, iisque qui
25 in ecclesiastico foro versantur maxime utilia ac pernecessaria. Cum
summariis et indice rerum et materiarum locupletissimis. Venetiis
MDCIIII, apud Ioannem Guerilium.